

486A0DTL050: transcription of 48600DTL050

De Historcismo (maxime ex H. Meyerdorff, PB)

1 F. Meinecke comparavit reformationi, affirmavit eum esse maximum quendam eventum in cultura occidentali; Lord Acton comparat revolutioni copernicanae. Sane maxime influit in omne quod dicimus, cogitamus. Karl Mannheim asserit eum esse ipsam mundi visionem actu dominantem omniaque ...

2 *Primum elementum*: liberatio historiae a theologia, religione.

(a) Saepius dicitur populum Israeliticum historicitatem invenisse, in culturam occidentalem invehisse.

(b) Iam vero Graeci et deinde Romani sensum quendam historicum habuerunt et historias composuerunt: Herodotus, Thucydides, Polybius, Sallustius, Livius, Tacitus, Josephus. Thucydides et Polybius propriam methodum explicant; Thucydides *to ktēma eis aiei perfecit*, eo sensu quo Sophocles. Omnes indicationes methodologicas dant et supposita philosophica et moralia habent. Herodotus: theoria cyclica compensationis.

(c) Eis tamen defuit philosophia historiae: sensu speculativo, sicut habuerunt philosophiam naturae, hominis, societatis; sensu logico: nihil de historia sicut *Post. Anal.* de scientia.

(d) Quod additum est ab Hebraeis et Christianis erat historiam habere sensum, directionem, finem uti in Exodo, in populo proprio Dei, in die Dominica expectata, in Incarnatione, Redemptione, praedicatione evangelii, parousia; unde historiam manifestare Dei intentionem, providentiam, tum in singulis eventibus, tum in quantum ipsa historia non meram eventuum congeriem sed unam intelligibilitatem universalem exhibet.

(e) Tota historia sensu religioso imbuta atque interpretata in opere Augustini, *De Civitate Dei*.

(f) Quam conceptionem indirecte et directe impugnaverunt (a') Machiavelli, Guicciardini; (b') Voltaire, contra Bossuet, *Histoire universelle*, 1681; (c') Gibbon: destructio imperii Romani opus, triumphus religionis et barbarismi; (d') Vico: loquitur de providentia inquantum est ordo divinae gubernationis rebus immanens et ipsis rebus manifestata; non de providentia transcendentis, miracula patrante; similiter lex naturalis non est collectio statutorum a moralistis compilata sed principium immanens iuri positivo idque crisi subiciens atque perficiens; (e') Herder, quamvis totus contra rationalismum, illuminismum Voltaire, tamen ei etiam historia est processus quidam mundo immanens, autonomus; (f') Hegel et Marx: tempus fit categoria quaedam ultima; apud Hegel, Deus quodammodo historiae involvitur et per eam evolvitur; apud Marx, tollitur Deus de medio.

(g) Unde philosophiae historiae doctrinas religiosas et Christianas quodammodo imitantur; constituunt saecularizationem historiae; et tamen quod per religionem habebatur, etiam per eas haberi posse voluerunt:

(a') Dialectica Hegelianae – divina sapientia; spiritus obiectivus – *Logos* Ioannaeus; magni homines – incarnationes spiritus obiectivi (Napoleon); stadia historica: tyranni Asiatici, ars Graeca, ius Romanum, libertas Germanica – quasi eschatologia; cf. societas sine classibus, redditus ad naturam (Rousseau), triumphus rationis (revolutio Gallica), *Übermensch*.

(b') Motus magni recentiores ideologiam historicam p[re]ae se ferunt: liberalismus – progressus; Hegelianismus – maximus influxus in theologiam Germanicam, exegesis; Marxismus – interpretatio materialistica historiae; Fascismus, Nazismus.

(c') Ubi deficiunt hi motus, opiniones, realitas humana sensu, fine, veritate carere videtur.

3 Alterum elementum: romanticismus.

(a) Sensus historiae residet, non in structura quadam universalis, sive necessaria, sive teleologica, sed in ipsa rerum multiplicitate, individualitate, valore proprio (Ranke: omnia aequi immediata ad Deum).

(b) Subiectum historiae est ipsa vita humana, tota, multiformis, non systematica. Est processus continuus crescendi, transformationes subeundi, in populis, nationibus, culturis,

moribus, institutis, cantibus, mythis, opinionibus. Fugit categorias philosophicas, staticas, abstractas, generales; est dynamicum, concretum, individuale. Forte est ars; sed certo non est philosophia.

(c) Munus est praeteritum re-creare, per sympathiam, empathiam: induere sentimenta, opiniones, etc., ut praeteritum contemplare possimus prout erat.

4 *Tertium elementum*: historia ut scientia

(a) Primum stadium: historia quamvis non sit philosophia, tamen non est ars; quaerit verum, et quidem methodologice atque proprie scientifice (Ranke: ‘wie est eigentlich gewesen’).


Evolvebantur technicae criticae investigationis Bernheim, Langlois-Seignobos, Niebuhr, Ranke, Droysen, Mommsen, Taine, Fustel de Coulanges, Acton, Bury, eorumque sequaces usque hodie.

(b) Alterum stadium: Burckhardt: historia inter omnes disciplinas minime scientifica est, quae tamen multa continet quae scire prodest.

Motus, qui primatum intellectus in dubium revocabant, historicos intra ipsum cursum historiae versari demonstravit: Kierkegaard, Schopenhauer, Nietzsche, William James, Bergson, Marx, Comte, Pareto, Sorel, Freud.

(c) Tertium stadium: W. Dilthey agnovit relativitatem cuiusvis doctrinae metaphysicae vel religiosae: caetera in *Weltanschauung* reduci, quae irrationalis est. Voluit (non perfecit) criticam rationis historicae (quae se haberet ad scientiam historicam, sicut critica Kantiana ad scientiam mechanicam). Laboravit ut fieret logica scientiarum humanarum, *Geisteswissenschaften*, quae quidem neque philosophica neque scientifica esset sed rei humanae, historicae, propria. Initium non parvum dedit studiis quae hodie ‘phaenomenologica’ nominantur, quae occupantur circa realitates vitae psychicae.

Cf. Díaz de Cerio.



6 De historicismo [bis]

1 Historicismus ut saecularismus

(a) Quod saepius auditur, Hebraeos atque Christianos sensum historicitatis invexisse, non verum est eo sensu quod alii populi et, in specie, Graeci et Romani, neque sensum historiae habuerunt neque historias conscripserunt, sed verum est hoc sensu quod Hebrei et Christiani tum omnes et singulos eventus tum totum historiae cursum sensu religioso auxerunt, nempe, populum Israeliticum initium sumpsit ex vocatione Abrahae, ex miraculosa conceptione Isaac, ex duodecim filiis Iacob, qui in Aegyptum abierunt et post quadringentos annos duce nube et ignis columna ex Aegypto exierunt. Qui populus electus foedus cum Deo suo inivit, qui propter peccata punitur et iterum iterumque Deo placato salvatur, qui diem Domini magnum et ducem a Domino constitutum exspectat atque desiderat.

Quae conceptiones, forma narrativa expressae, non solum totam religionem Hebraicam penetrant atque informant, sed etiam eandem religionem tamquam historicam a cultu sive Aegyptiaco sive Babylonico sive Graeco-Romano penitus distinguunt.

Et pariter religio Christiana est essentialiter historica, cum Jesus Nazarenus fuerit exspectatus Christus, cuius passio, mors, et resurrectio redemptionem universalem perfecerint, quod factum praeconio evangelico omnibus hominibus ab apostolis annuntiatur, ut omnes iterum adventurum Dominum Iesum expectarent. Neque tantum totus historiae cursus sensum habet, initium nempe in peccato originali, et restitutionem in Christo Iesu, et finem in secundo Christi adventu, sed etiam omnes et singuli eventus secundum beneplacitum Dei Patris occurrunt, qui vel capillos capitum in unoquoque enumerat, neque praeter eius voluntatem passer in terram cadit (Mt 10.30).

(b) Unde mentem biblicam expressit Augustinus qui in opere *De civitate Dei* totam humanam historiam et singula magna imperia secundum significationem religiosam interpretatus est atque iudicavit.

(c) Quam Christianam historiae interpretationem impugnaverunt (a') implicite, exhibendo quemadmodum de facto res procedant, Machiavelli, Guicciardini; (b') explicite, Voltaire qui opus a Bossuet confectum, *Histoire universelle*, 1681, innumeris arguments sat simplicibus ridiculum reddidit; iterum explicite Gibbon, *The Decline and Fall of the Roman Empire*: contra Romanum imperium victoriam atque triumphum reportaverunt barbaries et religio.

(d) Cum parum sit doctrinam refutare nisi quis etiam aliam habeat doctrinam quae in locum succedere possit, novam historiae interpretationem diversis modis introduxerunt:

(a') G.B. Vico, qui de divina providentia sane loquitur, sed de ea inquantum est ordo divinae gubernationis ipsis rebus humanis immanens iisdemque manifestata. Non ergo cogitat Vico de providentia modo populari quae in cursu rerum naturali intervenit et miracula patrat. Similiter loquitur Vico de lege naturali, quam tamen non cogitat per modum statutorum legumque quae a moralistis promulgantur, sed de vi quadam naturali rationi insita quae sese manifestat in evolutione legis positivae humanae.

(b') Herder, 1784, *Ideas for a Philosophical History of Mankind*, tendentiam romanticam fovit de qua aliquid plenius erit postea dicendum.

(c') Hegel, cuius philosophia idealistica ulterius processit quam deismus saeculi XVIII, ut scilicet ipse Deus quodammodo intra processum historicum includatur. Imo in doctrina Hegeliana detegi potest quemadmodum mentalitati olim Christianae satisfacere possit haec nova doctrina historica, si quidem loco divinae sapientiae habetur ipsa dialectica, loco tou *Logou* Ioannaei habetur spiritus obiectivus, loco incarnationis Verbi habentur incarnationes spiritus obiectivi in magnis viris historicis, uti in Napoleone, loco stadiorum vocationis populi Israelitici, redemptionis, praedicationis evangelicae, secundi adventus, habentur stadia evolutionis historicae per tyrannos Asiaticos, artem Graecam, ius Romanum, usque ad libertatem Germanicam.

Aspectus eschatologicus saepius recurrit: reditus ad naturam (Rousseau), triumphus Rationis (revolutio gallica), societas sine classibus (Marx), *Übermensch* (Nietzsche).

(d') Completam saecularizationem effecit Marx: Deus non exsistit; intelligibilitas historica in mediis productionis cernitur; finis historicus est per proletariatum dictatorem ad perfectum communismum.

2 Historicismus uti negatio naturalismi

(a) Naturalismus in eo est quod res humanae ad ordinem rerum naturalium reducuntur et secundum methodos scientiarum naturalium investigantur. Qui modus cogitandi maxime in Gallia et Anglia praevaluit. E contra, historicismus spiritum a natura distinguit, et campum ut ita dicam intentionalem sui generis agnoscit. Scilicet, id quod proxime influit in actiones humanas modumque vivendi non in ipsis rebus materialibus invenitur sed in rerum apparentiis, in modo cogitandi atque iudicandi.

(b) Quem historicismi aspectum in primis apud Vico invenimus qui prioritatem artis poeticae affirmavit, ut non prior sit status rationaliter conceptus et contractus quidem inter homines initus, quibus postea accesserunt ornamenta artis litterarumque humaniorum, sed ut initia in mythis, in poematibus, etc., exquirantur.